# QVÆSTIO MEDICA

Quodlibetariis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum die Jovis 23. Decembris.

M. RAYMUNDO FINOT, Doctore Medico, & Pharmaciæ Profeſſore, Præſide.

*An ex Vrinis certa valetudinis auguria?*

I.

AUGURIA Valetudinis non unâ ratione conſtant, inſcripta manibus lineamenta velut indices futurorum notas quorumdam curioſitas ſuſpicit, è quibus & proprietates hominum noſci, & quod adverſæ valetudinis genus in quoque timeri debeat proſpici poſſit, ſubtilitate jucundâ magis quàm ſolidâ: è cælo non pauci veriſſimè futura peti credunt, perſuadentque ſibi, morbo detentis ſydera, ex ſe invicem variè temperata, ſalutem modo, modo perniciem creare; Hi promiſſionum blandimentis ſpem alunt; ſpes etiam incertâ ratione fovetur, ut licet vaga duntaxat & arbitraria effutiant, fidem tamen habeant; adeo blanda eſt ſperandi pro ſe cuique dulcedo. Et ipſa urinarum contemplatio artem effecit: in his velut in ſpeculo quid aut intus in morbis ſit, aut venturum ſit, intueri ſe multi profitentur, majore nullibi mendacij luxuriâ. At verò Medici melioribus alimentis educati rei modum adhibent, urinam intuentur, nec tamen prius urinæ credunt, quàm collatis undique ſignorum viribus, & ſignificationibus appenſis certam morbi conjecturam acceperint. Equidem inter functiones pulſus eminet, eminet lotium inter excrementa: duobus enim vita continetur: calore cordis, viſcerum coctione: Pulſus ictu reciproco calorem ex uſu naturæ temperat: coctionis modum oculis urina ſubjicit. Res tamen fallaciſſimæ & pulſus & urina; illum facilè mille res turbant; hæc naturæ ſuæ modum vix retinet, ferè alienâ permixtione conſperſa; ut qui ex urinæ ingenio morbos æſtimaturus accedit, præſidium calliditatis amplexus, artem arte deludat, caſurus tandem, ni frequentiùs, alieno ſtupore, quàm ſuâ providentiâ tutus.

II.

URINA ſerum eſt humorum in venis contentorum, ſerum non mite & aqueum, ſed multiplici rerum perfuſione temperatum, ut ſi artis ope ad ſua revocetur elementa, plurimum ſalis & aquæ, bilis aliquantulum, tantillum terræ, & ſpiritus obtinuiſſe videatur. Ortum habet à liquore quocumque ſolidior cibus diluitur; Quemadmodum enim aqua lixivio cineri affuſa, ſi percoletur, variis ſalium ſaporibus, ſuccorumque viribus imbuta prodit, non ſine coloris elegantiâ: Ita liquor ille cuncta permeans, dum cibo ſanguinique permiſcetur, ſolutas coctionis æſtu ſalis, ſuccique bilioſi particulas ebi-

bens, tum coloris, tum substantiæ suæ modum adipiscitur, ut verè lixivia dici possit, quæ sanguinem ipsa eluens, salium copiâ levet. In hac lixiviæ tincturâ, mirum, quantum possint ventriculus, & intestina, ut si tardius inibi procedat coctio, lotium exeat coloris gratiâ destitutum: Sin concitatis plus æquo digestionis auxiliis nimia fiat solutio, rubeant urinæ ad saturitatem usque. His initiis serum plurimo sale jam prægnans subit majora vasa, sanguinique pro vehiculo permixtum, hunc ita diluit, ut assiduo incremento salis adhuc multum, bilisque flavæ tenuioris aliquid sibi asciscat, plus minus ut fervet sanguis & accenditur in cordis specu, bilis mixtura colorem cumulat, jugique tandem circuitu ita salem acuit, ut hujusce nativâ indole abdicatâ è fixo in volatilem erigat penè totum. Sic fervoti sanguinis respondet urinæ color, illiusque modus hujus æstimatione ferè terminatur. Qui ritè lotij colorem suis causis acceptum referre noverit, jam temperandæ coctionis modum, atque adeo ipsius sanguinis & humorum indolem intellexit. Serum his aculeis instructum dum eâ quâ pollet partium tenuitate sanguinem per angusta viarum quoquoversum deducit, succi nutritij crudioris portiunculam rapit, sorbetque in hypostasim spirituum ope colligendám. Hypostasis febrium initiis nulla percipitur; vulneri febris aliena superveniens pus ortum cohibet: impedita causis morbificis natura cibum non conficit, ut reverà sit absolutæ coctionis index hypostasis, arguatque naturam represso morbi tumultu ad consueta redire munia.

III.

UT reliquum corpus, sic renes lustratione continuâ sanguis perluit. Renum substantia glandulis constat, ceu totidem exiguis renibus inter se quam aptissimè cohærentibus: hæ cœcis meatibus perviæ arteriarum oscula admittunt, emittunt verò tubulos fibrarum instar propria excretionis urinæ vasa. In his renum angustiis fit sanguinis veluti διόρρωσις quædam, jugisque seri secretio: an percolatione solâ? an etiam virtute fermenti, cujus halitu laxior sanguis inspiratus contrahitur, serumque spongiosâ sui densitate admissum præceps excludit? Certè quæ medicamenta lac cogunt, eadem urinam movent. Atque ut excrementi cujusque maximè proprium est partis unde manat constitutionem referre, sic urina partium à quibus oritur conditionem renunciat, ut licet de toto maximè decedat, omnis tamen illius significatio, aut ad viscera coctioni dicata, aut ad majora vasa pertineat; in his absolvitur, inchoatur in illis. Qui viscerum habitum sanguinisque temperiem explorare voluerit, urinam consulat, non ineptum: utque tum primæ, tum secundæ coctionis est excrementum, ita coctionis, aut cruditatis fida quandoque nuncia, simul per coctionem, & cruditatem, salutem aut interitum, judicij celeritatem, aut tarditatem innuit: an & ipsam invaletudinem? Verè dicam, non tam morbum exhibet, ipsiusque symptomata, quàm morbi causam; nec tam morbi speciem, quàm genus in quo morbus continetur, an caloris siccitatisve plus minus particeps sit, ut tunc præcipui sit in arte momenti urinarum contemplatio, cum & morbi ætates assequi, & aptissima medendi tempora captare animus est. Est tamen quod in his Medicus imperitus falli possit: ferè enim veritatis fidem urina non servat, sed vel specie recti ludit incautos, vel specie pravi terret imperitos: In tenuissimo victu aut temperie biliosissimâ nihil est reliquiarum, ut nulla in coctionis argumentum colligi possit hypostasis: In quibusdam proprietate naturæ, quin & crisi quadam, pessimæ ad speciem urinæ

diu profunduntur; in his omnibus securus æger evadit, interim urina mendax periculum intendit. Contrà in febribus malignis meretricia est, ac quodam nitoris fuco blanditur, ut in summo penè discrimine, etiam sanitatis decus mentiatur. An quod cœco, obscuroque veneno perfusus sanguis sensim ac tacitè corrumpitur? An veneni vis aliò propulsa, jamque syderati sanguinis stigmata in cute elucent purpureis maculis hinc & hinc depictâ? Nec rarò in febre putridâ nullius malignitatis participe post urinas diu concoctas, interitum nullo errore consequi prodidit experientia; ut qui urinis fidens, etiam ritè concoctis, naturam bellè operantem admiraturus cessaverit, fidem plerumque doleat, lapsumque occasionis momentum. Certioris tamen urina fidei est renuendo, quam annuendo, nec tantæ securitatis cocta, quanti periculi cruda.

IV.

QUID singula memorem penè infinita, quibus omnis disciplinæ ratio confunditur, ut nullus observationis tenor constare possit. Largior potus copiosiorem urinam profert, eamque tenuem & crudam, non pauca vel usu mediocri illam alieno vel colore inficiunt, vel odore perfundunt, ut his præsentibus de interiori constitutione certi nihil statui possit. Taceo renum & Vesicæ vitia, quorum sordibus varias illa mutationes plerumque subit. Sed & ipsum quod quisque sequitur vitæ genus urinas diluit vel obscurat. A pastu quoque quæ primò funditur, pallidula fluit: ardet post longa jejunia: Quid si succussâ purgantibus humorum mole contingat Fluere vitiosiorem? Sed nec morbo cuipiam ita propria & sua est urinæ ratio, ut ex hac certum illius duci possit indicium. Urina cui cremor innatat tabem denunciat: at hoc ipsum hypocondriacis familiare. Crassior pituita muci narium instar matulæ fundo adhærescens calculum arguit: at similem creat mucum sordidum cervicis vesicæ ulcus: tenuis & aquea urina cruditatis soboles est, quidni & obstructionis? Num eadem causa varios potest proferre morbos, variaque ciere symptomata? Solùm ut inter ista certum sit, nihil esse certi. Eant nunc qui urinæ, etiam è longinquo comportatæ significationem ad omne valetudinis genus diffundunt. Quis non rideat hominis confidentiam dicam? an inscitiam, ex urinâ solâ, fortè non integrâ, sæpius corruptâ, eam sibi artem arrogantis quâ dignoscat hunc quidem è morbo convaliturum, sed oculis captum fore, illum dolere capite, pedibus alium, hanc denique morbi expertem, sed in utero habere, etiam à paucis diebus, ne dicam horis? Tantamne rem tam negligentor agi? At, inquies, si partes omnes sanguis perluit, quidni à singulis accipiat aliquid quod in unum urinæ corpus confusum interpreti multa oculorum consuetudine erudito nota sit partis affectæ? Ita est, volvitur sanguis perenni motu: sed in hoc motu aut nihil accipit, aut quid commune quod pertinere possit ad omnes, nullius possit præferre indicium: ut, licet muliere uterum gerente, lotium multis innatantibus impurum se se paulò turbidiùs evolvat, impuritas illa sit, non proprium gravidiratis vitium, sed commune suppressionis mensium. Nec auguria solùm in urinis quæruntur, sed & medendi artes, ut emissâ jam urinâ arcano rore pretiosè temperatâ hujusce virtus in urinam intus adhuc contentam evolet, ut Vesicæ remedio sit, minuendoque calculo. Nam licet utriusque urinæ liquores dissiti sint, tamen in iis ita natura continuatur, ut etiam conveniant in unum quâdam naturæ communis proportione, spiritûsque omnia permeantis affinitate, in cujus opinionis commentum, licet nobile pariter &

rude vulgus cursu ierit, sympathiæ malè intellectæ titulo delusum, extabuit tamen commenti fides, ut illud vel profiteri summa sit hominum contemptio, vel credere summa animi socordia: neque enim absque Philosophiæ flagitio dici potest virtutem conservari posse per distantissima, ita ut quæ vis exit ab urinâ deferri possit incolumis ad vesicam. Verum lucri bonus odor è re qualibet, turpius tamen è mendacio lucrum, quàm è lotio.

V.

PROCUL igitur à nobis nostrisque literis absint ista scientiæ portenta, fallendique, non augurandi artes. An auguria sunt quæ temerè vel astutè dicti, non tam necessariis ex causis, quàm petitis extrinsecus argumentis ducuntur? Sapientiæ consanguinea est ars augurandi, à judicio, non à fortunâ profecta. Vestigiis omnibus rem odoratur, intuetur propria, communia non spernit, ductâque in omnes partes conjecturâ, cum præteritis præsentia, cum his futura componit, non opinionis caligine, sed scientiæ veritate. At, inquies, & ipsi urinarum Interpretes multa incredibiliter vera sæpius effantur. Quidni? Imo vel urinâ nondum perspectâ eadem si voles vaticinabuntur. Nam dum inter vera & falsa quasi per tenebras ingredientes eunt, aut multa tentando incidunt imprudentes in veritatem, aut eorum qui ipsos consulunt multa credulitate ducente, callidè perveniunt ad ea quæ vera sunt, ut videantur hæc omnia ex urinâ perspicere. Nec exigua artis quam Conjectores isti profitentur Pars est procul ab urbe degere, naribus acutis minus apti, avibusque similes quarum intuitum nox illuminat, dies cæcat. Sed quo tandem impellente genio ad hujuscemodi augures velut ad salutis perfugium nullum non hominum genus convolat, impellente Reginâ opinione? Ineptum enim vulgus, & aulicorum plures vulgus sunt. Sed quid facias, sic homines sunt: aut captantur aut captant. Nam dum semper aliquid immensum expectant, obstupescunt ad id quod peregrini saporis suavitatem refert. Interim dum superflua quærunt, necessaria non inveniunt. Qui si non opinionibus, sed veritatis studio ducerentur, urinæ significationem angustis finibus coercitam sentirent, ut urinam intueri quidem oporteat, sed huic non omnia credere.

*Non ergo ex urinis certa valetudinis auguria.*

## Domini Doctores disputaturi.

| | | |
|---|---|---|
| *M. Renatus le Comte.* | *M. Nicolaus Raveau.* | *M. Ioannes Garbe.* |
| *M. Franciscus Afforty, Scholarum Professor.* | *M. Germanus Preaux.* | *M. Paulus Courtois, Regius Professor.* |
| *M. Nicolaus de Iouvancy.* | *M. Petrus Daquin, Medicus Regis ordinarius.* | *M. Guillelmus Petit.* |

Asserebat Parisiis JACOBUS DES PREZ, Parisinus.
A.R.S.H. 1677.

PARISIIS, Apud Franciscum Muguet, Regis & Illustrissimi Archiepiscopi Parisiensis Typographum.